

136 EXERCITATIO XXXIII.

ctionum in illo ente cogitabilem omnium
3. nec de praesenti tantum, verum etiam de
præterito & futuro omni, immo ultra id omne
quod præteritum & futurum dicitur, quæ
proinde sit existentia indefectibilis, h.e. quæ
nunquam possit deficere, sed omnino nece-
faria sit & immutabilis.

EXERCITATIO XXXIII.

Id quod simpliciter est, æternum est & immutable.

1. **I**N eo qui est maximè ens, sive, ens
simpliciter, non possumus intellige-
re initium aut finem, ergo meram existendi
æternitatem intelligamus necesse est.

2. Nam qui *initium* concipit, intelligit
priùs tò non-esse, postea autem tò esse; qui
finem animo concipit, is intelligit tò non
esse post tò esse, sic ut illud huic quasi succe-
dat.

3. Sed in Ente simpliciter non potest in-
telligi ullum non-esse, sive ante sive post tò
esse statuatur, sive simul cum eo & illi ipsi
quasi immistum & connexum putetur.

4. Scaliger Exercit. 363. *Temporis partes*
numerat (Plato) tres: fuisse, esse, fore. Cate-

rum